IVSTVS VT PALMA FLOREBIT,

HOC EST

PATRIARCHA IOSEPH Euectior, quo depressior

MELODRAMMA

Latinum vulgo Poeticum Musicis commodiùs notis

In Clarissimo Romano Oratorio

ARCHICONFRATERNITATIS SS. CRVCIFIXI Audiendum,

Armonica sub eleganti a

A IO: BAPTISTA PIVSELLO ROMANO Exharatum.



ROMÆ, Typis Reuerendæ Cameræ Apostolicæ, 1694.

Superiorum Permissu.

PERSONÆ.

Rex Pharao.
Regina eius vxor.
Putifar.
Aniel eius vxor.
Ioſeph Hebræus.
Chorus Angelorum.
Chorus Dæmonum.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſs. Patri Sac. Apoſtolici Palatij Magiſtro.

Sperellus Epiſc. Interamnen. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Franciſcus Maria Forlani Reuerendiſs. Patris S.A.P. Mag. Soc. Ord. Præd.

PARS PRIMA.

An.  Egina ſic eſt.
Reg. Tu dicis inuenta.
An. Impudens,
Reg. Vir prudens.

An,)
Reg.) Eſt Ioſeph Iudæus.

An. Eſt iuuenis reus
Perſæpè impudicus;
Reg. Sed ille inimicus
Eſt ſuæ voluptatis.
An. Quæ fert puritatis
Sunt eius figmenta
Regina ſic eſt.
Reg. Tu dicis inuenta.
Rex. Quæ ſentio lamenta?
An. Regina ſic eſt.
Reg. Tu dicis inuenta.
Rex. Contentio hæc eſt.
Quænam dicite, quæ
Muliebri de more hæc altercatio?
An. Opportunus, ò Rex
Meis occurriſti votis,
Vt meæ prouideas honeſtati,
Et vindex fias impuræ improbitati.
Reg. Mira, ò mi Rex irata narrat Aniel:
Sed plus calumniæ ſapiunt inuenta,
Quam veritatis prodeant argumenta.
Rex Veſtras inter verborum ambages
Anxia redditur mens.
Dic citò
Quid te Aniel graue premit
Vel angor, vel quæ gens?
An. Puer, ò inuicte Rex,

 Plus

Plus vitijs, quam ætate iniquè pollens,
Plus audaciæ quam ſit fortunæ phetus,
Et ſi ſeruus charuſque, ac muneratus
Viri mei Putifarris,
Sacrum thalamum eius violare
Non terruit, ac me aggredi tentare.
Tantum facinus, qui audeat,
Et pergaudeat
Pœna immunis decantare,
Deplorare
Noſtra tempora licebit,
Eò quòd impius ius habebit
Omne thorum deturpare.
Rex. Inſuetum adhùc audio in Regno meo
Simile perpetratum
Ne dum in aula mea Regni ſacrarium
In qua modeſtiæ viget viridarium.
Habet ſua hoc Cœlum fulmina
Vt ſacrilegos retundat,
Et abyſſis regia abundat,
Vt ceruicum ruant culmina.
Ecquis autem ecquis,
Quis mente tam delira,
Vt nil de Regis perhorruerit ira?
An. Quidam ſe vafrè præbens
Humilem iuſtum purum,
Sed intus lupus rapax impius plebæus,
Hic eſt Ioſeph Iudæus.
Rex. Ioſeph! Quomodo? Ioſeph!
Reg. Rectè, ò ſponſe miraris,
Non enim Regia Ciuitaſque noſtra
Virum cognouit parem
Virtute, more, obſequio ſingularem.
Sunt germina mores,
Candore nutrita,

Im-

Im puris attrita
Marceſcunt vt flores.
Iuſtitiam ritè volo.
Culpam non foueo,
Et innocentiam colo.
Reg. Irata. *An.* Decepta.
Reg. Iuſtitia) Deſpecta.
An. Iniuria)
Reg. Inſontem accuſas,
An. Iniquum excuſas,
Reg. Irata. *An.* Decepta.
Reg. Non iram) Incuſas.
An. Non fidem)
Reg.) Errori ſubiecta,
An.)
Reg. Irata. *An.* Decepta.
Rex. Silete tandem ambo ſilete,
Meum eſt iudicare,
Meum obiecta crimina exharare.
Ioſ. Sit gloria Domino
Is, qui de crimine,
In meo diſcrimine
Eripuit me.
Diſcant terrigeni
Clamare ad te,
Cui ſemper gloria
Qui eripuit me.
Tu Deus, Deus meus,
Me Ioſeph ſeruum tuum, quem dilexiſti
De adulterinis laqueis detraxiſti.
Sed parce quoque Domine
Mulieri inſipienti
Et Cœli ignaræ,
Atque non dedignare
Lumen tribuere,

Vt lex ei clarè pateat,
Et culpæ monſtrum tibi adhærens paueat.
In hac dira libidinis tabe
Corda languent mortifero ardore,
Niſi medicæ manus fauore
Tu non pectora hæc ſerues à labe.
Sit gloria Domino
Is, qui de crimine
In meo diſcrimine
Eripuit me.
Iam cedant Inferi
Culpæ ſatellites,
Qui coram cælites
Cadunt in ſpe.
Iam cedant Inferi,
Iam cedant me.

Ch.Dam. Non cedat Erebus non,
Traducendum in furorem
Spretum fæminæ amorem
Sciat inſipidus de Syon.
Non cedat Erebus non.

Put. Et verum dicis Aniel?
Ioſeph meus dilectus,
In quo tantum complacui,
Qui numquam in peccato fuit detectus
In cuius fide turus ſemper iacui,
Ioſeph tantum deliquit?

An. Ita Putifar eſt,
En vxor ego tua in verbo tuo
Nimis me improbo fidi,
In meque (heù ſcelus) inſilire vidi.

Put. Tace iam Aniel, non plus
Proh miſer audio infandum
Inuitus, & conſidero,
Fateor inexcuſandum,

Et

Et parcere desidero.
Ergo tam iustus.
Impuro Ardore
Meo fato inustus
Mea electa Vxore
Sic impius fit?
Sed age modò ò Sponsa
Quem testem Regi obijciam,
Vt fidem ei subijciam?
An. Extat apud me pallium
Præ fuga ab eo relictum,
Quo patens fit delictum.
Put. Frustra plura requiro.
Et amplius dubij cupidus deliro.
Regem peto: Aniel' Sile.
An. Plorabo iniuriam passam in cubile.
Fuge fuge iam crudelis
Simulacrum castitatis,
Impietatis
In amorem cordis mei
Vltum alijs vade telis
Fuge iam fuge crudelis.
Nec immeritam veniæ spera sorrem
Vrgeo, impingo, teque clamo ad mortem.
Reg. Quasi obtinuerat Aniel
Excitare cor Regis,
Vt ferè in curia Legis
Sola infirma, & inani eius quærela
Pœnosa in Ioseph explodisset tela.
Sed mea eius erga ingenita pietate,
Regem pro sua rogaui indemnitate.
Bone puer infelix es
Probi viri munera doces,
Sed cum fœminæ inuidæ noces;
Fati tui fit turbida spes

Bone puer infelix es.
Caste puer infaustus es,
Dum in manus reprobæ gentis
Sub auspicijs Cœli inclementis
Tuus inscius incidit pes,
Care puer infaustus es.
Aniel valdè superba
Ioseph inuisum Putifarri gratum,
Quod se posthabeat illi inquieta acerba
Iurans velle sublatum
Inuento Regi obiecto
Ad supplicium insonte, vt reo subiecto.
Quam turpis quam furens est
Affectus inuidi scabies,
Cæca crudaque sorde,
Nullo innocentiæ radio,
Nullo pietatis corde,
Solo nequitiæ gladio,
Soluitur eius rabies.
Quam turpis quam furiens est
Affectus inuidi scabies.
Rex. Incredibile credo
Quod Putifar reuelas,
Ioseph, quem dilexisti,
Et modò vt prædo
Honoris tui per tui ipsius quærelas
Cùm fuerit irrequisitus,
Prout conuictum habeo inquisitum.
Put. Certè ò Rex erubesco
Tanti sceleris eius
Quem tantum prosequebar: & horresco
Indigni amoris mei reminiscentia
Erga tali pollentem impudentia.
Quis tandem putasset
Sub frontis nitore

Præclaro ſub more
Perfidiam celaſſet
Maleficum cor.

Rex. Ad pœnas ferendas
Sub Rege indignato
Supplicio parato
Ad fraudes luendas
Damnabo idem cor.
Mollis, contumax, infidus,
Rege vindice quid fiat,
Sapiat, legat, ferat, ſciat.
Sed fateor tædere
In illum rigere
Qui neſcio quid defert
Amandum ſe præfert.

Put. Experior quoque, & ipſe
In animo virorem
Perſequor, clamo, & non depono amorem.

An. Ecce ò Magna Maieſtas
Pallium Iudæi inſolentis
Id metu, fuga, aut fato relinquentis
Vt clarè pateat eius inhoneſtas.

An.)
Put.) *à* 3. Procedatur, iudicetur
Rex.)
Nec quid ampliùs immoretur
Per catænas
Truces pœnas
Tanta audacia ſit compreſſa,
Non eget alio teſte culpa expreſſa.

Finis primæ Partis.

PARS

SECVNDA PARS.

Chor. VIcit Acheron vicit
Dem. Aduerſus Iſraelitam
Nunc doleat, gemat, pereat
Qui legem fert auitam;
Et nos ita interdicit:
Vicit Acheron vicit.
Ioſ. Nolite eos timere
Qui occidunt corpus, quominus
Animam poſſunt minimè torquere
Iſraelis inquit Dominus.
In laqueis igitur
Te Ioſeph anima,
Corpus affligitur,
Exultat Anima
Deo chara plus.
Carcer obſcurior,
Menti ſerenior,
A' culpis purior,
Lætitiæ plenior
Menſura fit.
Quoſuis Domine mærores
Me ſufferre tidi dico,
Laqueos, pœnas, & dolores,
Ideò laudo, & benedico.
Rex. Heù mihi infelix Princeps
Qui tot fælicitates
Alijs tribuo, ac tot calamitates
Tollo, nec eum inuenio, qui deinceps
Valeat me conſolari.
Somnium me latet, idque interpretari
Neſcium reperio quemquam

Inter

Inter Satrapos Regni mei Doctores,
Miſerque viuo meos inter pauores,
Quid velint fata,
Cur non reuelant,
Cur intus celant
Luce falcata
Volitam rem.
Metum vel ſpem
Non valeo legere,
Vtrumque tegere
Fit mihi lex.
Infelix Rex.

Reg. O quantum Sponſe premit
Pectus meum iſta cura,
Ergo per ſomnia gemit
Regum Diadema, ſicut faciunt rura.

Rex. Regum ſomnia ò Regina
Monita fiunt in luce matutina.

Reg. Qui cupiunt aut qui timent
Somnij figurant leges,
Quid ergo refert ſomniare Reges?

Rex. Vigilantes ſomniant gentes,
Reges vigilant etiam dormientes.

Reg.) à 2.
Rex.)
O Regum fortuna
Sic ſomnijs ſubiecta
Dum hæc ſunt neglecta
In paupere cuna
Quæ pace redundat.
O Regum fortuna
Quæ curis abundat.

Reg. Sed quomodo ò mi Rex ab ea triſtitia
Redimere cor tuum mihi licebit?

Rex. Tua vota quis implebit,
Si me reuocant fata à mea lætitia?

Reg. Poſtquam viros ſagaces

Fru-

Frustra consuluisti:
Ne dedignare forsan non mendaces
Simplicis voces quas nondum audisti.
Iudæus ille, quem tù nuper damnasti
Ad vincula, vt somnij diuinator
Se præfuit mirè, vt tutus Architiclinus
Sibi fert præbuisse vir diuinus.

Rex. Quare tu distulisti? & cur delator
Mihi non fuit Architiclinus meus?
Ad me statim Iudæus
Ducatur: tù ò Regina iube aduentum
Regiam peto, ardeo, frigeo, anhelo intentum.

Reg. Si me facies non fefellit,
Ecce puer placata sors
Irata contra te,
Et quæ nunc crudè te pellit
Non erit iam contenta
Vt tibi eueniat mors.
Ad Regis pergo iussum exequendum,
Et Ioseph à discrimine eruendum.

Ch. An. Exaltabitur hinc Ioseph fidelis,
Quia magnum timuit Numen Israelis,
In eo cęlestes chori,
Dum fremit Dites, nos sumus canori.

Rex. Fata tandem placata
Mihi arriserunt. Ioseph nec ingrata
Tibi fuere: sceptrum, Regnum volo
Tecum fieri commune,
Vt reddas ita immune
Ab ira, quam à Polo
De somnio prædixisti
In quo sapiens interpres refulsisti.
Quid acciderit,
Siue penuriæ, siue affluentiæ
Sub regimine tantæ prudentiæ,

Non

Non occiderit
Populos meos fames, ebrietas,
Se se pendens ieiunium, satietas.

Ios. Obscura hæc tibi ò Rex sunt, ideò quia
Lumen Cęli non vides,
Et tibi deuia fides.
Ego autem in Domino sperabo,
Regnique tui discrimen declinabo.
Non homo, non fata,
Non regia potentia
In mala imminentia
A' dextera irata
Supremi motoris
Vllius est valoris.
Rogando, sperando,
Obsequia si præstas,
Ea clemens Maiestas
Ad veniam se vertit,
Et iras diuertit.

Rex. Virtute quà clarescis
Quo lumine tù penetras recondita
Dirige Regnum, mala tolle abscondita.

Reg.) *Rex.*) Impera, iube, manda.

Ios. In Domino imperabo.

Reg.) *Rex.*) Tu qui legisti infanda.

Ios. Et illi gloriam dabo.

Reg.) *Rex.*) In te reposuit Polus sortis leges.

Reg.) tuum
Ios.) Seruare suum est Regnum & Reges.
Rex.) tuum

Reg.

Reg. Videat amodo inuidia
Quantum vacua, quantum vana,
Tàm maligna, quàm insana
Sua torquetur in perfidia
Rigat, non est quod ploret,
IVSTVS VT PALMA FLORET.

F I N I S.